	H.	M.	S
tubo palmorum undecim Rom. A B verò eſt partium 12. (*Vide Fig.* 5.)			
Menelaus 25 exit. (25 eſt numerus maculæ aſſignatus in Lunæ imagine, à Pariſienſi Academia edita.)	9	2	0
Macula clarior ſita ante Plinium exit.	9	5	0
Hermes ab umbra prodit.	9	6	0
Plinius emergit.	9	50	0
Incipit emergere Poſſidonius 27.	9	16	0
Maris Criſium limbus prior emergit.	9	18	0
Totum Mare Criſium extra umbram.	9	25	0
Langrenus 39 exit.	9	24	0
Umbræ extremum in limbo Lunæ adhuc videtur.	9	24	30
Finis umbræ veræ.	9	25	0

V. *Conſpectus Maculæ Platonis in Luna cœlo clariſſimo nocte ſequente diem* 16 Auguſti 1725, *hora prima poſt occaſum Solis* Romæ *in monte* Palatino, *per tubum opticum* Joſephi Campani, *palmorum* 150 Romanorum, *ſpectante eodem Viro Cl. Ex eadem Epiſtola.*

MArgines elevati in ambitu maculæ perſundebantur luce Solis, & candorem conſuetum oſtendebant: fundus maculæ tenebroſus ſpectabatur, cum ad illum radii ſolares nondum pertingerent. Sed projectio lucis minus candidæ, imò nonnihil rubeſcentis, pervadebat mediam aream maculæ (ut in *Fig.* 6.) non ſecus, ac ſi in latere marginis A Soli obverſo foramen aliquod fuerit, per quod radius Solis admitteretur.

Cla-

Clariſſimus hic Vir in ſua, quam ad me ſcripſit, epiſtola, ratiocinari ſuper hoc maculæ conſpectu nonnihil voluit, ſuamque de ea re mentem exponere. Duplicem verò innuit cauſam, unde prædictus effectus procedere poſſet; vel ſcilicet foramen in latere marginis Soli obverſo; vel refractionem alicujus radii ſolaris in ſummitate marginis factam, unde interiores partes ipſius maculæ pervaderet radius. Utrumque ſanè probabile, & utrumque pariter confirmat, dari circa Lunam Atmoſphæram noſtræ non abſimilem, ut & ipſe Auctor infert; ſive enim foramen admittamus, per quod Solis radius introducatur, & hîc ſane neutiquam videri poſſet in obſcuro cavo maculæ, niſi ab exhalationibus lucem reflectentibus fieret conſpicuus; vel admittamus refractionem, & hæc ſine intermedio craſſiori dari nequit. Hæc addere volui, ut ratio innoteſceret, quæ laudatiſſimum Virum adduxit ad hujus maculæ obſervationem accuratè deſcribendam.

Fig. 1.



Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 5.



Fig. 4.

Fig. 6.



Fig. 7.